



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

4^o Diff. 3390 (29). 5.

QVAESTIONES SELECTAS
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
INTER
GROTIVM ET PVFENDORFIVM
CONTROVERSAS
EXPENDIT, SIMVLQVE
AD
ORATIONEM ADITIALEM
PRO
IVRISPRVDENTIA
ADVERSVS NVPERAM
CL. MVRATORII CENSVRAM
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XX. MARTII, HORA X.
BENEVOLE AVDIENDAM
DECENTER INVITAT
D. GOTTFRIDVS MASCOVIVS
IVR. NAT. ET GENT. P. P. ORD.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.





Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

192

193

Main body of extremely faint and illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Sincera fama in Iure Naturae et Gentium commendantur HUGO GROTIUS et SAMVEL PVENDORFIUS. Meruit hanc ille eruditionis copiis plane exuberantibus, ac mentis et stili acumine, coniuncto cum singulari animi praesentia: quum huic eandem concilient viuida ingenii vis, iudicium defaecatum, orationis perspicuitas summa. Pufendorfius vero, dum ea, quae a Grotio litteris tradita erant, commodius a se dici posse confidit, saepe in alia omnia itrationibus vtens modo grauibus satis, modo, vt sunt cognitiones humanae, in speciem tantum validis. Nata inde est res apprime mala, summa nimirum in nobilissima scientia incertitudo, qua fit, vt de plerisque eius capitibus in vtramque partem disputetur. Interest tamen publice, in tuto constitui monita, quibus administrantur Regna, geruntur Bella; coagmentatur Pax, et quibus ipsum

Ius Ciuile felicissime ¹⁾ regitur. Expedi igitur conferre Rationes Rationibus, et explorare, iustone et pio conflictu Grotium semper vincat Pufendorfius, an contra inuicta subinde et inconcussa persistet Grotii sententia, etiamsi a Pufendorffio in dubium vocetur. Constabit vtrique suus honos, si liquidis exemplis ostendero, interdum melius a Grotio, quam a Pufendorffio tractari praecipuas Iuris Naturae et Gentium quaestiones; quamuis saepe Grotio longe antecellat ²⁾ Pufendorffius.

Instrumentum Societatis humanae est sermo, et hinc complura vitae nostrae commoda pessumdentur necesse est, nisi officia sermocinantium recte

¹⁾ Quod re ipsa ostendit DOMAT dans ses *Loix Ciuiles dans leur ordre naturel*.

²⁾ Nouissime Pufendorffium Grotio contulit Dn. D' AUBE, Magister libellorum supplicum, dans son *Essai sur les Principes du Droit et de la Morale*, qui liber prodiit Parisiis MDCCLIII. in 4to. Praetermissis, Auctor eius, locis omnibus veterum, in quibus congerendis nimia ei fuisse videtur, et Grotii, et Pufendorffii diligentia, solo ratiocinio vtitur, et Ius Naturae, cum praecipua parte Doctrinae Morum, aptissime inter se connexis conclusionibus, e studio *societatis* deducit. Longe alia via incedit P. CASTVS INNOCENS ANSALDVS. O. P. in opere suo de *Principiorum Legis Naturalis Traditione*, quod Mediolani excusum MDCCLII. in 4to. inscriptum est Cardinali Angelo Mariae Quirino. Etsi enim Ansaldus quoque Grotium et Pufendorffium subinde laudet, pro Iuris Naturae Principio tamen *traditionem* venditat, et in generalibus Iuris Naturae praeceptis subsistit.

v

ste ordinemus. Eorum magna pars vertitur in studio veritatis, ex quo nascitur fides, quam, nisi etiam contra vtilitatem nostram conseruamus, intercisum est iuris humani vinculum. Iam quaeri saepe solet, viro iusto et recti studioso sitne semper dicenda veritas, ita, vt nec latum vnquam vnguam ab eius studio recedat; an e contrario fieri possit, vt tempus et locus aliud suadeant, et fas sit, sermone interdum vti fucato, et, poscente id negotii indole, pro vero dicere falsum. Percunctationem hanc omnem ex Fine, abusu non tolli vsum ratus, diiudicat PUFENDORFIUS *de officio hominis et ciuis L. I. c. 10. §. 8. et 9.* quo fieri possit, vt mendacii nota careat *falsiloquium*, non tantum si periculi a nobis ipsis auertendi causa dicatur, sed etiam si aliorum commodis inseruire queat, et ita comparatum sit, vt nemini eo obesse videamur. Culpa igitur is omnis carere Pufendorffio videtur, qui falso sermone tueatur innocentem, leniat iratum, demulceat moestum, meticuloso animum addat, pertinaciam frangat obstinati, aut fastidium propellat eius, qui medicamenta capere detrectet, perire festinans. Latius id exsequitur in *opere maiore, de Iure Naturae et Gentium L. IV. c. 1. §. 7.* vbi, postquam imaginario commento adfirmavit, primos homines pactum de dicenda veritate iniuisse, palam profitetur, nequaquam nos obligari, *vt omnia animi nostri sensa et cogitationes quibusuis aperiamus.* Quum enim, addit in fine

laudati loci, conuentio illa de adhibendis certo modo signis respiciat ad alias obligationes, quibus explendis signa illa inseruiunt, ubi istae cessaerint, nulla apparet ratio, quare non alio modo signa illa usurpare queam, si nemini iniuriam faciam, et commodiore via mihi aut aliis prospicere, non possim. Deinde §. 9. simplex valde est, inquit, credere, piaculo semper obstringi, qui citra alicuius iniuriam, et, in utilitatem sui, et aliorum, profert verba, ab animi sui sententia discrepantia. Quibus praemissis tandem §. 12. subiicit, circa animi mei sententiam usurpandam plena nobis intelligitur esse libertas relicta, modo nemini nocumentum aliquod iniuria inferatur. Quod enim alter falsam opinionem concepit, sibi imputet, quippe qui in alienis negotiis arbitrandis plus iusto fuit curiosus. Verum libere dicendum est, multo maius esse damnum, quod ex abusu falsiloquii metuendum sit, quam quidem fuerit commodum, quod ex usu eius sperare liceat. Et fit quotidie, in ea fundi nostri calamitate, vt, quod falsiloquium Pufendorfius appellat, conuertatur in mendacium, pessimo, sed solito more humanae indolis. Nam, dubiis praesertim et formidolosis temporibus, volens lubens vnusquisque in diiudicandis finibus iusti et iniusti, decipit primum se, deinde etiam alios; et, quoties sui damni consideratio concurrat cum contemplatione detrimenti alieni; etiam tum falso delectatur, quando

do sine controuersia loqui debeat verum. Hanc ingenii humani labem praemetuens Grotius, de falsiloquio multo melius agit, quam Pufendorfius, quia longe cautius de eo praecipit. Postquam enim titubanter probauit mendacium officiosum, libertatem naturalem, ne in licentiam excrescat, circumsepiit primum exemplo eximii belli Ducis, qui adeo veritatis diligens fuerit, vt ne ioco quidem mentiretur: dein sanctissimis Euangelii placitis, quibus Pufendorfi doctrina aduersatur. *Quod profecto, inquit, L. III. c. 20. §. 2. de Iure Belli et Pacis, Christianis eo magis obseruandum est, quia ipsis non simplicitas tantum imperata est, Matth. XVI. sed et vaniloquentia interdicta, Matth. XII. 36. et is in exemplum propositus, in cuius ore dolus inuentus non est. Lactantius: Itaque viator ille verus ac iustus non dicet illud Lucilianum:*

Homini amico ac familiari non est mentiri meum, sed etiam inimico atque ignoto existimabit non esse mentiri suum, nec aliquando committet, vt lingua interpretes animi, a sensu et cogitatione discordet.

Falsiloquio adfinis est error. Est enim error credulitas, caussam sortita ex veri ignorantia, dum vel ideas falsas sequimur, vel eas inepte connectimus. Is an consensum in contractibus tollat, porro dissentiunt Pufendorfius et Grotius. Ille, *op. mai. L. III. c. 6. §. 7.* primum distinguit, *utrum ad paciscendum quis per errorem fuerit motus, an vero*

vero error circa rem, de qua pactum initum est, versetur. In priore porro casu dispiciendum esse putat, *an res sit adhuc integra, nec ne.* Si ex errore ad paciscendum fuerim impulsus, eumque, re integra, et quando nihil adhuc praestitum erat, agnouero, aequum Pufendorffio videtur, ut facultas poenitendi mihi concedatur, praesertim ubi, quam ad paciscendum accederem, prae me tulerim, quae me causa ad contrahendum impelleret. Verum ubi res non amplius est integra, et error demum patet, quando contractus iam vel totus vel pro parte est adimpletus, eum, qui errauerit, rescissionem contractus vrgere non posse, ait, nisi quatenus alter ex humanitate id velit indulgere. Ne festinanter, aut inconsiderate quaestionem hanc sic definiuisse videatur, addit exemplum. *Patrifamilias, inquit, peregre versanti, falsus nuncius adfertur, equos ipsius domi periisse. Hoc ille prae se ferens, circa alios emendos contractum iniuit. Sed antequam traditio pretii, aut equorum fieret, nuntium istum falsum comperit.* Et putat deinde Pufendorffius, emptorem hunc ad adimplendum contractum adigi non debere, quia, sciente venditore, istum nuntium tanquam conditionem supposuerit. Lucem post haec sententiae suae foenerans a contrario exemplo, *verum, addit, ubi pecunia et equi iam mutuo fuerint traditi, etiamsi emtori equis deinde opus non sit, non poterit ad reddendam pecuniam, et recipiendos equos compelli*

pelli venditor, nisi expresse haec lex contractui dicta sit. Sed recedit haec Decisio Pufendoriana plane ab usu vitae ciuiliſ. Nam, ſi id tantum praefulerit emtor, equos ſuos domi periſſe, ſoli relationi huic neſtquam tribui poteſt vis conditionis: qua vero ſi caret, pro parte contractus relatio haec haberi, aut ex veritate eius valor negotii aestimari nequit. Equos enim coemere poteſt, et cui alii domi ſuperſtites ſunt, et cui alii domi ſuae perierunt. Indoli vitae ciuiliſ accommodatius, ideoque melius doctrinam de errore tractat GROTIUS *L. II. c. 11. §. 6. n. 2. Si promiſſio, inquiring, fundata ſit in praefumptione quadam facti, quod non ita ſe habeat, nulla eius vis eſt, quia omnino promiſſor non conſenſit in promiſſum, niſi SVB QVADAM CONDITIONE, quae re ipſa non conſiſtit.* Poſteriore caſu, quo error verſetur circa rem, de qua conuentum eſt, contractum errore vitiari, Pufendorſius exiſtimat, non tam ob errorem, quam quia legibus contractus non fuerit ſatiſfactum. Caſum non addit Pufendorſius, ſed patitur eum fingi ex VLPIANO in *L. 14. D. de contrab. emt. vendit.* Viriola, ſiue armilla exquſito pretio pro aurea vendita eſt erranti emtori: inuenitur ea deinde magna ex parte aenea. Dignitatem Iuriſprudentiae Romanae poſtulare ait CORNELIUS VAN BYNKERSHOECK *Obſeruatt. L. VI. c. 14.* vt hanc legem cum ſana ratione componamus. Et ſana hic eſt, qua Pufendorſius vtitur,

B ratio,

ratio, et secundum eam non valet emptio venditio viriolae, quia error contigit circa ipsam rem, de qua conuentum fuit, pactumque vitatur, quia legibus eius, quibus aurea viriola vendita erat, non fuit satisfactum. Ideone autem risum daturus est Ulpianus, qui longe aliter hanc quaestionem dirimit? Minime gentium. Considerat enim is negotium hoc ratione ciuili, quum venditionem constare, ait. Ratio autem ciuilis haec est, quia erratum in parte minore Physica materiae, et id, quod emptori deest, peti potest actione Quanti minoris. Qua interpretatione adhibita, scrupulus omnis sublatus est cum puluisculo: neque opus erit, vt cum laudatissimo Bynkershoekio, *inauratum* apud Ulpianum in lege adducta, nimis improprie pro aureo accipiamus.

Errori iungamus *metum*, vt alias saepe ei iungitur. Hunc etiam, extra Statum Ciuitatis, non aliter, seposito bello, obligare promittentem, quam, si inferenti ius acceptandi sit, late docet PVFENDORFIUS *L. III. c. 6. §. 10. 11. 12.* cuius sententiam probat BARBEIRACVS *ad d. §. 10. n. 5.* et GVNDLINGIUS *de efficientia metus c. 1. §. 26.* Sed, quum in Statu Naturali deficiat iudex, per quem confieri possit, fueritne vim inferenti ius acceptandi, necne, et colores ei, quibus vtatur, nunquam defuturi sint, parum hac ratione proficitur. Miscetur potius manifeste Status Ciuilis et Naturalis, et sufficiens excogitari nequit ratio, quare

quare iustus sit metus bellicus, iniustus metus extra ciuitatem singulis illatus, iure vtrubique in facto posito, et vtrubique deficiente iudice. Agnosco, Statum Naturalem hominum singulorum, extra Ciuitatem constitutorum, Methodi plerumque caussa fingi, vt a simplicibus ad magis composita progredi liceat. Verum sic nimis aberratur a scopo proposito, nisi ea, quae de singulis personis dicuntur, etiam ad personas Mysticas, Gentium integrarum applicari, et quae de his profertur, in hominibus singulis, extra Ciuitatem constitutis, reciprocari possint: et danda est opera, vt Iuris Naturae placita in vtroque Statu, et Naturali et Gentium amicissime conspirent. Vnde, quae de statu Naturali Doctores comminiscuntur, ita comparata sint, oportet, vt etiam locum inueniant inter Gentes, et Principes, vi metuque vten-tes, et bellum gerentes. Atqui hi, et antequam arma capiant, et positis iis, constanter profitentur, se iure optimo, et quia omnis alia via suum consequendi ipsis praeclusa videbatur, in aciem processisse. Euenire praeterea potest, vt, in multis latebris et ambiguitatibus caussae controuersae, neutra pars eorum, qui metu bellico de iure suo discernere student, iniquitatis sibi conscia sit, sed belligerantes ambo, belli discrimina, aleae instar subeant. Vbi si alteruter succubuerit, promissa pacis, etiam vi extorta seruare debet, quia alias bellici furoris nullus esset finis. Quae iam mani-

bus nostris palpamus, et oculis cernimus in Statu Gentium, eadem in Statu Naturali hominum singulorum quoque fictione adumbranda sunt, et proinde vtriusque Status Principia melius cohaerent, si cum GROTIUS *L. II. c. 2. §. 7. n. 2.* eorum sententiae accedamus, qui existimant, seposita lege ciuili, quae obligationem tollere, aut minuere possit; eum, qui metu aliquid promisit, simpliciter obligari; quia naufragium facienti similis sit, qui, dum res suas iacet, absolute eas perditum it, spectata scilicet temporis, et loci circumstantia. Instas, et opponis exemplum latronis. Latro, inquis, est, de quo loquitur Pufendorfus. Cum hoc latrone mihi oppresso negotium fuit, interdum in media ciuitate; sed deficientibus praesidiis eius: plerumque in siluis, aut aliis locis deuuis. Versatus fui in Statu cum latrone Naturali, quia ciuilibus carebam suppetiis, et tamen promissa latroni praestare non cogor, quoniam huic defuit ius acceptandi. Sed de latronis admissis quoque dispectio omnis Ciuili non Naturali Iure fit, neque de eius acceptandi facultate penitus desperatur, antequam captus et vincetus causam dixerit apud iudices.

Pergo ad Statum per vim decertantium, quod *bellum* dicitur, et in cuius iure regendo potissima pars Iuris Gentium posita est. Per id victori in victum licere grauia multa; posse cogi belli sumtus, posse dirui, si hi negentur, tecta; exuri fata, praedas hominum pecorumque agi, in confesso est.

Verum

Verum an hoc intelligendum sit cum quodam moderamine, an contra pateat in infinitum, itidem non couenit inter Pufendorfium et Grotium. Ferociam spirat sententia Pufendorffii, quando homini, animali ad mansuetudinem nato, et cuius genus sine ea saluum esse non potest, ultionem permittit sine fine et termino. Permisit eam vero aliquoties. Ita *op. mai. L. II. c. 5. §. 3. dum quis sese, inquit, hostem mihi profitetur, id quod fit, quando iniuriis me laceffit, neque poenitentiae signa ostendit, dat mihi, quantum in se est, aduersus se licentiam in infinitum.* Qua sententia quoque utitur *d. c. §. 10. 12. et 16. et L. VIII. c. 6. §. 7.* ubi colorem quoque allinit huic opinioni, quo victus cuncta dare videatur, si neget iusta. *Scilicet, inquit, quum exhibitio officiorum pacis, lege naturae mutua debeat esse, qui prius illa aduersus me abruptit, me quoque quantum in se, absoluit a praestandis officiis pacis, eoque, dum hostem sese meum profitetur, licentiam concedit, vim contra ipsum exserendi in infinitum, aut quantum mihi videatur.* Homines in Centauros commutat hoc placitum. Melius GROTIUS *L. III. c. 1. §. 2. 3. 4.* a victoris fine, qui debet esse pax, facultatem eius metitur, et eum impensis, et damni sarcitione contentum esse vult. Quare vitam adimere victor victis, nisi resistentibus, nequit, neque res eorum inuadere potest, nisi quatenus ex iis certum ipsi periculum imminet,

aut sumtus inde belli, vel damni reparatio facilius obtineri possunt. Parcendum pudicitiae mulierum, et aetati imbelli; omnium vero minime concedendum est, vt iumentorum loco et numero habeantur homines, ex iisdem, quibus victor, feminibus³⁾ nati. Nec pepercit sibi Grotius, quin, quae figillatim in personas, quae in bona hostium liceant, sequentibus capitibus deinde separatim doceret: quae apud ipsum legi possunt.

A bello, ad belli ferias, *inducias*, transeo, de quibus bis praecipue aliter, ac Grotio videtur, sentit Pufendorfus. Quaestio prima, in qua vincere videtur Grotius, est, *an initis induciis ad certum actum, veluti ad sepeliendum mortuos, impetrans aliquid aliud in suam utilitatem suscipere, verbi gratia moenia reficere, aut munitiones novas exstruere, possit.* Valet in ea definienda coniectura imprimis voluntatis, quae ea fuisse videtur, vt, dum mortui sepeliuntur, omnia, adeoque cum iure oppugnandi etiam ius defendendi in suspenso sit, et quiescat, donec, finitis induciis, reuiuiscendi ei detur occasio. Nam, si aliter accipiantur induciae, nouis turbis ansam praebebunt haec molimina, et elusoriae erunt conditiones earum. Bene hoc

³⁾ Conferri merentur, quae nuper de hac quaestione in medium protulit Auctor libri, *le Droit public de l'Europe, fondé sur les Traités etc.* et, quae occasione eius disputantur in *Memoriis Triuoltiensibus* A. M D C C X L V I I. Mense Augusto.

hoc intellexit GROTIUS, qui *L. III. c. 21. §. 10. sunt et quaedam*, inquit, *per inducias illicita, per specialem conuentionis naturam, ut, si tantum sepeliendorum hominum caussa datae sint induciae, nihil erit immutandum: sic, si obsessis datae induciae, tantum ne oppugnentur, iam auxilia et commeatus admittere non licebit: nam, quum tales induciae alteri partium profint, non debent interim eius, qui dedit, caussam deteriore facere.* Quibus consequenter quum Hispani Bergam ad Zomam obsiderent, et, initis induciis ad caesos sepeliendos, opera simul perficerent, et, in ea conscendentes, munitiones vrbis simul inspectarent, contra vsum formamque belli eos egisse, et inducias ruptas esse, querebantur Belgae A. MDCXXII. apud Aitzemam *L. I. p. 279.* referente BYNKERSHOEKIO *Quaest. Iur. publ. L. I. c. 25. p. 182.* Sine caussa Grotii ratio displicet PVFENDORFIO *L. VIII. c. 7. §. 10.* putanti, ius sese defendendi nunquam excludi. *Nam quum, inquit, nullo pacto ius sese defendendi soleat abdicari, ipse, qui tales inducias concessit, suae facilitati et imprudentiae adscribat, qui non satis cauit, ne hostis sese interim confirmare possit.* Is sane, qui ius sepeliendi per inducias concessit, si de potestate muniendi simul interrogatus fuisset, eam diserte negasset, et ideo, neque tacite eam concessisse, videri potest. Praeterea, quod, tanquam verum in genere, a Pufendorffio sub-

substernitur, nullo pacto abdicari solere ius sese defendendi, manifeste falsum est: quum hoc iure utique sese abdicent, qui se dedunt, et his saepe adfines et proximi sint, qui inducias petunt. Quomodo praeterea de hoc iure satis cauere necesse esset, si se eo homines nunquam abdicare solerent? Quae vero de facilitate eius dicuntur, qui tales inducias concessit, pertinent ad praecepta prudentiae, quum hic de iure quaeratur.

In altera quaestione de induciis Pufendorffii opinio potior videtur; sicuti eadem praeualet in ceteris quaestionibus, quae sequuntur, omnibus. Induciae coaluerunt a Kalendis Aprilibus ad Kalendas Augustas: unde inchoanda est computatio, ubi est finienda? Suntne ipsae Kalendae hae pars induciarum, an ambae, saltem alterutra, extra inducias? Mere naturaliter si rem aestimemus, dies primus ab initio exclusus videtur, quia transiisse dies dicendus est, a quo computatur. Excludendus quoque videbitur dies, ad quem factae sunt induciae, quia nondum venerit dies, ad quem computamus. *) Sinit Grotius diem postremum induciis contineri, quia et alias, terminus sit pars rei, et humano sic sanguini diutius parcatur, nec usus repugnet, quo, si quis dixerit, ut intra diem mor-

*) Et sic Grotii sententiam sistit GVNDLINGIVS *Iur. Nat. c. 36. §. 133.* Sed haec mens Grotii, ut statim apparebit, minime est.

mortis eius aliquid fiat, ipse quoque dies, quo mortuus sit, numeretur. At vero, a quo die mensura induciarum incipere dicatur, eum intrā mensuram eorum non esse, addit Grotius, quia eius positionis a vis sit, discernere, non coniungere. Contradicit hac parte quoque Grotio PUFENDORFIUS *L. VIII. c. 7. §. 5.* idque non sine verisimilitudinis specie. Obseruat enim, notissimis formulis, *ab ouo usque ad mala, a capite usque ad calcem*, hac vocula a saepe etiam initium notari. Nec obstat, vocum proprietatem, quod induciis satis conuenit, Grotio ante oculos esse, a qua longissime seiuncta sint exempla Pufendorffii. Cur enim hanc proprietatem sectatur Grotius in casu priore; non sectatur in specie posteriore? Cur temporis productionem, quam in posteriore exemplo fauorem habere ipse fatetur, seponit a casu priore? et cur quieti non magis in utroque die prouehendae, quam contrahendae studet, poscente id rationis similitudine. Interesse quis dicat inter diem primum et postremum induciarum, quod facilius praeuideri possint pericula diei primi, tanquam praesentanea, et ideo, nisi de iis diferte cauerint, tacite ea suscepisse videantur paciscentes. Verum hi summa id cum verisimilitudine negabunt, quum eo ipso die, a quo incipere debebant induciae, commiserint turmae, capta sint oppida et comprehensi Duces, eoque patefactum

C

ctum

Etum fuerit, vtique plus de sagacitate sua sperasse paciscentes, quam in ea fuerit.

Vsuras quoque, Iure Naturali, ex receptiore sententia, vetitas esse, ait GROTIUS *L. II. c. 12. §. 20.* neque tamen argumenta, quae in hanc partem proferantur, talia esse, addit, vt assensum extorqueant. Quae postquam proposuit, monet, nobis sufficere debere legem a Deo Hebraeis datam, quae vetet Hebraeos, Hebraeis pecuniam dare foenori. Hanc enim Christianos quoque obligare putat, quippe vocatos ad maiora virtutis specimina, latius extenso proximi intellectu. Sed nomen vsurarum solum proscribere videtur GROTIUS: rem ipsam retinet, quum §. 21. *d. c.* docet, *esse quaedam, quae ad vsurarum speciem accedant, ac vulgo vsurae esse videantur, quum tamen pacta sint generis alterius: vt de repensando damno, quod facit, qui pecuniam dat mutuam, eo, quod diu pecunia careat: item de lucro ob mutui dationem cessante, deducto scilicet incerto spei, et labore qui subeundus erat. Sic etiam pro impensis eius, qui multis det mutuam pecuniam, et in hoc paratam habeat, et pro periculo, amittendae sortis, vbi idonee non caueatur, si quid exigatur, vsuras vere non esse.* Cordatius

*) Subobscurus est hic locus Grotii; sed caliginem eius egregie discuffit Illustrissimus Comes DE COCCEII in *Grotio illustrato T. II. p. 208. seq.*

datius PVFENDORFIUS *L. V. c. 7. §. II.* in omnibus vsuris modicis, eandem rationem verti observat, quae in his pactis occurrat, et idcirco melius facit Pufendorfius, dum palam profitetur, licitas esse vsuras modicas vniuersim, quia per absentiam pecuniae foenori datae lucrum cesset, et pensatione aliqua dignum sit, nos pro re iam habere actionem: denique, quoniam aequum sit, venire nos in partem lucri, ex pecunia nostra quaesiti, quam alteri, nullo iure cogente, concedere tenebamur. Et sane nisi alia etiam lucra omnia, atque vtilitates, ex re nostra percipiendas, inter vetita censere velimus, licitae etiam videri debent vsurae modicae omnes, quum inter leges Hebraeorum particulares referenda sit lex de foenore Diuina Positiua. Latius hanc sententiam instruxit GERARDVS NOODT *de foenore et vsuris*, quem librum Viri Summi, inter cetera eius opera, omnium praestantissimum esse iudicant eruditi.

Deo etiam *iureiurando* nos obligari censet GROTIUS *L. II. c. 13. 14.* non tantum homini: cuius praecepti exemplum in eo sit, qui per metum iniustum causam promissioni iniustae dederit. Quare piratae etiam praestitum iusiurandum obligare, contendit, *L. II. c. 13. §. 15. n. 2.* et *L. III. c. 19. §. 2. n. 1.* idemque iusiurandum voti nomine comple-

Citur. Rectius PUFENDORFIUS *L. IV. c. 2. §. 6.*
et 8. iureiurando Deo aliquid promitti, votique
 id instar esse, negat. Est enim iusiurandum, as-
 feueratio religiosa, qua Deus promissi testis et
 perfidiae vindex inuocatur. Id promissum au-
 tem homini fit, non Deo, et ponit negotium
 principale, quocum, tanquam accessorium, stat et
 cadit: nec enim plus in accessione potest esse,
 quam in principali re. Quoties igitur vim non
 nanciscitur ex valore negotii, cui accedit, to-
 ties id Deum probasse, praesumi non potest. Ta-
 le autem est iusiurandum, quod a Grotio pro-
 ponitur praestitum piratae, vtpote quocum, tan-
 quam cum communi hoste, nec fides nobis com-
 munitatis esse debet. Quandoquidem tamen, per
 reuerentiam Diuini Numinis virum pium et pro-
 bum vrere possit memoria talis iurisiurandi, tem-
 peramentum adiicit Pufendorfius, et fatius esse,
 ait, Deoque acceptius, si pecunia piratae promissa
 erogetur in causas pias, quam vt impii inde ho-
 minis malitia alatur.

Naturae Iure interno, quod alii imperfectum
 vocant *pollicitationes* quoque valere, notabili sen-
 tentia putat GROTIUS *L. II. c. 11. §. 3.* Nam,
secundus, inquit, *gradus est, quum voluntas se ipsam*
pro futuro tempore determinat, cum signo suffi-
ciente ad indicandam perseverandi necessitatem. Et
haec

haec pollicitatio dici potest, quae, seposita lege civili obligat quidem aut absolute, aut sub conditione, sed ius proprium alteri non dat. Multis enim casibus euenit, ut obligatio sit in nobis et nullum ius in alio: sicut in debito misericordiae et gratiae reponendae apparet, quibus simile est hoc debitum constantiae seu fidelitatis. Speciosius quam verius haec dicuntur, ideoque melius PVFENDORFIVS *L. VI. c. 3. §. 3. et 15.* docet, ut promissio sit valida, exigi non solum consensum eius, qui promittat, sed et eius, cui promittatur: et his consequenter pollicitationem, quae sit solius offerentis promissum, ab acceptione demum valere.

Porro GROTIUS *L. II. c. 20. §. 1. n. 1.* definit *poenam* malum passionis, quod infertur ob malum actionis, omissa mentione *superioris*, quae tamen omitti non debebat, quoniam alias hoc malum bello propinquius est. Rectius poenae rationes subducit PVFENDORFIVS *L. VIII. c. 3. §. 4.* quando voces, *pro imperio*, definitioni Grotianae inserit, et subiicit, eo ipso eam separari ab illis malis, quae inuitis in bello, pugnae et ubi reluctamur, vel etiam per meram alterius iniuriam infligantur. Verum id agebat Grotius, ut definitio sua etiam Bello Punitiuo, quod omnibus viribus tuetur, applicari posset. De hoc *L. II. c. 20. §. 40.* *Sciendum quoque est, inquit, Reges, et qui*
C 3
par

par Regibus ius obtinent, ius habere poenas poscendi, non tantum ob iniurias in se, aut subditos suos commissas, sed et ob eas, quae ipsos peculiariter non tangunt, sed in quibusuis personis Ius Naturae aut Gentium immaniter violant. Nam libertas humanae societati per poenam consulendi, quae initio, ut diximus, penes singulos fuerat, ciuitatibus ac iudiciis institutis, penes summas potestates resedit, non proprie, qua aliis imperant, sed qua nemini parent. Nam subiectio aliis id ius abstulit. Imo tanto honestius est, alienas iniurias quam suas vindicare, quanto in suis magis metuendum est, ne quis doloris sui sensu, aut modum excedat, aut certe animum inficiat. Sed hoc Bellum Punitium bello omnium aduersus omnes ianuam aperit. Restringit quidem deinde Grotius sententiam suam ad delicta atrocissima, negatque §. 48. bella iniuste inferri iis, qui Christianam religionem amplecti nolint, qua ratione vulgo damnantur bella a Carolo M. Saxonibus, et ab Hispanis Indis illata, perinde ut expeditiones sub Crucis signo aduersus Saracenos *) susceptae. Sed quid, si misceat Princeps, bellandi cupidine flagrans, armorum causas; aiatque, gentem sibi inuisam non tantum impiam, verum

*) Conf. 10. FRANCISCI BVDDEI exercitatio de *expeditionibus cruciatis, seu bellis, quae religionis causa suscipiuntur*, inter eius Selecta Iuris Naturae et Gentium..

verum simul atrocissimorum delictorum ream esse. Vel sic etiam turbarum quotidie plena erunt omnia. Habent hae gentes Deum actionum suarum iudicem et vindicem, non Principem externum: alioquin, quum grauissime peccent interdum Principes, etiam Christiani, Principi cuius vicino liceret, peccata eorum castigare, quo nihil rebus humanis excogitari potest perniciosius. Noui a IOANNE BARBEIRACO, V. Cl. ad laudatum Pufendorffii locum *L. VIII. c. 3. §. 4.* sententiam Grotii adhuc praeferrere Pufendorffianae; sed, praeter Lockii auctoritatem, nihil est in hac obseruatione eius, quod suspicere legentes possint.

Fundamentum *praescriptionis* GROTIUS *L. II. c. 4.* in tacita derelictione prioris domini quaerit. Naturale enim esse, putat, vt iure suo se quis abdicet, vbi ei visum non fuerit, diutius id retinere. Negabat, hunc derelinquendi animum in vlllo possessore deiecto reperiri, PETRVS PVTEANVS in Dissertatione sua, qua quaeritur, *an praescriptioni locus sit inter Summos* ⁷⁾ *Principes*, et Iuris Ciuilis placita Iuri Naturali admiscens, alia simul ratione utebatur, sed falsa: quasi nimirum praescriptio omnis fieret in poenam negligentiae, quae infligi

⁷⁾ Conf. de hac Dissertatione IO. BARBEIRACVS in *not. Gall. ad Pufend. L. IV. c. 12. §. 11.*

infigi non possit, nisi a superiore, qualis non inuenitur inter Gentes, inter quas proinde nec praescriptioni locus sit. Probabilius quam Puteanus, Grotium hac parte impetit PUFENDORFIUS *L. IV. c. 12. §. II.* non quidem in ipso negotii^s) cardine; sed tamen propter rationem parum verisimilem, qua Grotius sententiam suam tueri fatagit, non putandum esse, inter cetera aiens, homines eo inuicem animo ferri, vt, rei caducae causa, versari aliquem velint in perpetuo peccato. Satis graua sunt argumenta, quibus Pufendorfius hanc rationem explodit. Obseruat enim primo, nimis prolixè de pietate pristini domini sperare eum, qui tam benigne sentiat de eximia adeo voluntate eius in possessorem nouum: in quem nec peccati mentio cadat, inter homines expiandi, cui Modus, quo in possessionem peruenerit, iusti tituli vice et loco sit, et qui parum consulte egerit, si id ipse in dubium vocare, et ambiguae disceptationi submittere velit. Quodsi dominus pristinus titulum noui possessoris vitiosum esse, ratus, conscientiam eius, ex lege charitatis exonerare velit, hoc vitii solo silentio eius purgari non posse, addit

^s) Arcem causae petiit et expugnauit Celeberrimus IOANNES WERLHOFIUS in *Vindictis Grotiani dogmatis de praescriptione inter gentes liberas, contra illustrem Scriptorem Gallicum, Petrum Puteanum, excusis Helmstadii MDCXCVI.*

addit Pufendorfius; sed ultra ab eo excurri debere, et disertam et expressam iuris sui fieri renuntiationem. Quo casu non ex praescriptione, sed ex facto ipsius renuntiantis ius possessioni nouae nascetur.

De *transitu* quoque *innoxio* per terras alienas fluminaque et partes maris, quae in proprietatem venere, facilius ad sensum meruerit Pufendorfius, quam Grotius. Concedi eum vult GROTIVS L. II. c. 2. §. 13. indistincte, si qui ob iustas causas eo uti velint, veluti, si qui, finibus suis expulsi, alias sedes quaerant, aut commercia expetant cum gente seposita, aut, quod sibi debetur, iusto bello petant, vel etiam, si alio in loco versantes, ad ferendas patriae periclitanti suppetias festinent. Sed nimis e longinquo petita est ratio Grotii, id inde patere rati, quod in diuisione rerum, qua communio primaeua abolita, et distincta dominia rerum fuerint introducta, vniuersi intelligantur sibi recepisse rei alienae usum, qui indigentibus prodest, dominis non noceat. Mireris, Grotium id non tantum in transeuntibus singulis obseruari velle; sed de integro exercitu quoque admittere, eo quod, ex opinione ipsius, integri exercitus quoque transitus innoxius esse queat, quum plures aequae ac pauci Iuris Naturalis possint esse obseruantes. Melius PUFENDORFIUS L. III. c. 3.

D

§. 5.

§. 5. memor indolis humanae, qua cupiditas, si plures coiuerint, facilius excrescit in proteruiam, multum interesse, ait, vtrum pauci aliqui et inermes transire, suoque sumtu victitare velint, an totus exercitus. Quapropter illis quidem, singulis, et inermibus transitum concedit sine controuerfia; de toto autem exercitu subsistit, cum, propter metum, quem, cum summis molestiis, et damni formidine incutiat exercitus ipse, tum propter offensam, quam cum eo, in cuius terram transitus fit, contraxerit is, per cuius ditiones transitur. Priuato enim, per fundum vicini cum flammis et facibus incedenti, similis est exercitus transiens, et facti poenitere possit patremfamilias, si tot hospites in aedes suas admiserit, vt ipse ab iis opprimi queat.

Ius *stapulae* etiam, vi cuius merces externae sistendae sunt in certis locis nostris, vt ciuibus inde occasio lucri paretur, rebus vetitis accenset GROTIVS. Mercium enim transitum quoque *L. II. c. 2. §. 13.* pro re innoxiae vtilitatis habet, ideoque fieri vult libere. Sed hac quoque parte sententiae eius probe intercedit PVFENDORFIUS et laudato *L. III. c. 3. §. 6.* opinionem hanc alienae auaritiae fauere, ait, certe si de mercibus sermo sit, quae non tam ad vitae subsidia pertineant, quam quibus luxus instruatur, et lucrum
 quae-

quaeratur exuberans. Quae enim inuidia fuerit, ciues nostros, interiectos inter gentes duas, quarum altera eiusmodi mercibus abundet, altera vero easdem appetat, venire in partem inde nascentis vtilitatis, quum proximus vnusquisque sit sibi.

Apparet ex hisce, quam nostro nos iudicio vti oporteat in dirimendis controuersis Iuris Naturae et Gentium; quum in grauissimis et fere quotidianis eius quaestionibus decidendis tam vehementer dissentiant interpretes huius Iuris principes. Instruitur hoc iudicium et lectitando, et meditando: sed inprimis id vehementer acuit viua docentis vox. Hac de causa constitui solent, qui Ius Naturae et Gentium publice doceant Professores: quod munus in Academia Heidelbergensi primus suscepit Pufendorfius, in Lipsiensi, qui nunc Ordini Iuridico summa cum laude praeest, ILLVSTR. RECHENBERGIVS. Hanc iam Professionem, vacantem inde ab obitu B. IO. FRIDERICI HOECKNERI, quum *Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICVS AVGVSTVS, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. Saxoniae, Angriae et Westphaliae Dux, S. R. I. Archimareschallus et Princeps Elector, etc. etc. Patriae Pater, et Academiae huius Nutritor Clementissimus,*

mus, mihi nuper gratiosissime demandauerit, in Oratione Aditiali Vindicias parabo vniuersae Iurisprudentiae, contra Censuram CL. LVDOVICI ANTONII ²⁾ MVRATORII, eadem libertate, eodem vsurus candore, in diluendis his naeuis, quo in notandis iis vsus est Vir Eruditissimus. Cui sermoni meo, vt interesse velint, MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES, ac GENEROSISSIMI et NOBILISSIMI IVRISPRVDENTIAE et BONARVM ARTIVM STUDIOSI, qua par est obseruantia et humanitate rogo. Lipsiae, d. XVI. Martii, MDCCXLVIII.

²⁾ Quae publici iuris facta est in libro, *dei difetti della Giurisprudenza*, excuso Venetiis MDCCXLII. in Fol.

